LECTORI.

HAEC Tibi, Lector, librorum Ariſtotelis non extantium fragmenta, pauca illa quidem de multis quæ pridem ſtudiosè collecta & emendata habemus, placuit nunc ἆσσον γεύματος χάριν exhibere: tantiſper dum liceat per otium omnia ſimul in unum conducta, emendata, & conuerſa à nobis in eorum gratiam qui his epulis delectantur, publici iuris facere. Nam qui ante nos hanc prouinciam ſuſceperunt, ita negligenter, & imperitè (quod res ipſa μονονουχὶ φωνὴν ἀφιεῖσα teſtatur) eam ſuſtinuerunt: ut non minus reprehendendi videantur, quod negotio ſe immiſcuerint, quod non intelligebant: quàm laudandi, quòd de literis bene mereri voluerint. Sed nos de illis & cum illis aliàs fauente Deo, Opt. Max. agemus, & egregias iſtas Diſcuſsiones accuratè diſcutiemus. Vale.